



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III**

**Tamburini, Tommaso**

**Coloniæ Agrippinæ, 1661**

An Episcopus possit concedere facultatem celebrandi per modum actus in loco profano, sed decente extra domum suam, ipso absente, nu. 6

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41878**

gratia, sunt quaestiones distinguenda. Primo, an Episcopus possit concedere facultatem celebrandi, per modum actus, in quocumque loco decenti domoque privata, seu profana aliorum, ipso Episcopo absente. Secundo, an saltem idem possit in quocumque loco domus suae, vel in domo profana aliorum, sed coram se, seu ipso praesente. Tertio, an possit deputare Oratorium in eadem sua domo, ut ibi indifferentes ab omnibus, per modum habitus, celebretur. Quarto, an in domibus privatis, seu profanis aliorum idem possit. De singulis separatim, tacebo tamen de Quarta justis de causis libens.

*An Episcopus possit concedere facultatem celebrandi per modum actus in loco profano, sed decenti, extra domum suam, ipso absente.*

6. **O**lim id a potuit Episcopus, nunc vero non potest.

*a Delugo de Epi. d. 20. sec. 2. n. 49.*

test. Ratio prioris dicti est, ampla concessio ipsis à sacris Canonibus mox num. 12. afferendis, attributa. Ratio posterioris est prohibitio Concilii Tridentini *a ne patiantur* (inquit Tridentinum) *Episcopi privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda sanctum hoc sacrificium à secularibus, aut Regularibus peragi.*

7. Illud *b* nota, quod licet Tridentinum restringat Episcoporum potestatem, non videtur tamen iis ablata potestas, occurrente necessitatis casu, dispensandi, ut semel aut sæpius, (quatenus rationabilis causa suaserit) in loco honesto, quamvis profanis usibus destinato super Altari sacrato, & ornato.

Missam

*a* *Trid sess. 22 in decret. de observ. in celebr. Missæ.* *b* *Suarez de sacr. d. 81. sect. 3. §. 2. Observandum circa finem Layman l. 5. tract 5. cap. 5. num. 4. aliique.*

Missam celebrare liceat. Ratio est, quia cum eiusmodi casus frequenter accidere soleat, moraliter necessaria est Episcopis talis dispensandi potestas, maximè in Regionibus ab urbe remotioribus.

*An id possit in quocunque loco domus sua, vel in domo profana aliorum coram se.*

8. **P**Otest <sup>a</sup> Episcopus, in quolibet loco decenti, licet profano, ob suam etiam commoditatem, tum in sua Diocesi, tum extra (etiam Romæ, <sup>b</sup> quia de decisione in contrarium allata ab Ugolino <sup>c</sup> non constant authentice) sive in domo, seu palatio suo, sive alieno,

<sup>a</sup> De lugo disp. 20 de Euch. sect. 2. num. 49. Fortella in Resp. p. 3. casu 20. num. 7. Diana p. 4. tract. 4. resp. 15. alii que apud ipsos. <sup>b</sup> Navarr. cons. de privileg. <sup>c</sup> Ugol. apud Garvan. in pract. Episc. V Episcopus num. 9. approbatque Diana loc. cit.